PROFESSORES SCHOLAE HORNBACHIANAE. 1a

[1]) **Immanuel Tremelius Italus**, Vir Doctissimus et plurimarum linguarum peritissimus. Is postquam Illustrissimi principis, Domini, Domini WOLPHGANGI Palatini etc., huius Scholae fundatoris, Juniores principes filios, in Christiana pietate, honestis moribus & bonis literis BIPONTI aliquamdiu diligenter & fideliter instituisset, ei anno Christi 1559. ad Calendas Januarij primae Classis gubernatio est concredita, & designatus primus Scholae RECTOR. Hanc functionem Anno Christi 1561. 7. Martij, Heidelbergam ascitus, reliquit.

Christophorus Hilspachius Etlingensis, Vuiteberga auocatus, Scholam Bipontanam suscepit, cui cum annos septendecim praefuisset: Secunda Classis Scholae Hornbachianae, Anno 1559. Calendis Januarij, ei demandata est, postea Anno 1561. 13. Martij ad primam est promotus Classem, & Scholae Rector publica autoritate subrogatus, priori successit.

[3]) Hic Christophorus, postquam praefuisset Scholae Hornbachianae annos octodecim [*corr.* quindecim], in Christo feliciter obdormiuit Die 21. Nouemb. Anno à nato Christo 1576.

Johannes Tempeus Hurdensis, complures annos scholam 1b
Kirnensem docuit, Anno 1559. Calendis Januarij, tertiae classi propter poëseos et Musicae peritiam est praefectus, cui magna cum laude praefuit, et in eadem functione Hornbaci, Anno Christi 1561. 6. Maij, ad coelestem communem nostram patriam in uera filij dei agnitione et pura confessione est euocatus.

Johannes Thomae Tabernaemontanus, M. Nicolai Thomae Doctissimi uiri et parochi in Bergzabern filius, publicis literis Vuiteberga est reuocatus. Eius curae, Anno Christi 1559. tertia et decima Junij die, Quarta Classis cum paedagogia Collegij est commissa, quam anno vno nouemque mensibus fideliter administrauit. postea anno 1561. Hilspachio succedens, secundae classis professor est declaratus. Lectionibus augmentum sumentibus a° Christi 1575. Classi primae est additus.

Johannes Meurerus Saltzungensis, Turingus, Vir doctus 2a
& ad formandam juuentutem natus. Demortuo Tempeo, Tertiae classis professor & paedagogus Collegij Anno 1561. 20. Maij die, suffectus est, sed anni quadrante elapso in patriam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

est reuocatus, decimo Septembris die, ubi paulò post, cum frustra à nostris expeteretur, mortem obijt.

Georgius Wertwein Eslingensis, relicta praefectura, Scholam Bipontanam anno 1559. suscepit, in qua annos duos aut circiter docuit, postea per supplices literas est Hornbacum admissus, et ei quarta Classis Anno 1561. 23. Aprilis est demandata, quam cum deseruisset, Anno Christi 1564. 15. Maij, Eslingam est reuersus.

2b **Sebastianus Fridelius Wertheimensis,** Vir doctus, poëta et Musicus, Argentina uocatus, Meurero uita et officio suo probè defuncto [*corr.* defunctis] successit, Tertiam Classem vnâ cum paedagogij disciplina Anno 1562. 24. die Junij suscepit, cui muneri optimè praefuit, reuocantèque patria, Anno 1566. 30. Martij, domum redijt.

Georgius Hellingerus Bitensis, Vir eruditus, et in erudienda Juuentute scholastica diligens, Anno 1564. die 23. Aprilis, Quartam Hornbachiani Gymnasij Classem (Bipontana Schola totum triennium rectè administrata) docere coepit, pertaesus uero labores suos, Anno 1567. prima die Martij, prouinciam scholasticam resignauit, seque ad praefecturam Dimeringensem contulit, ab hac rursus ad quartam huius scholae classem per supplices suas literas anno 1570. 2. die Maij est reuersus. reliquit tandem Petro fratri suo eandem docendi in quarta Curia functionem, et Hellingam abijt a° 1574. 24. Nouembris.

3a **Simon Schiffelius Spirensis** Artium liberalium Magister & Jurisprudentiae Studiosus, Anno 1566. die 22. Aprilis, Classem Tertiam cum administratione disciplinae Collegij in se recepit, quo munere peracto, Anno 1567. 25. Aprilis publico instructus testimonio, amore patriae ac thalami, Spiram est regressus.

Johannes Wilhelmus Crusius Hallensis Sueuus, Qui cum integrum annum D. Johannis Tuschelin praeceptoris Bipontani adiutor in Schola fuisset, pro quarta huius Gymnasij Classe sollicitare coepit, eam Anno 1567. Calendis Martij est adeptus, cui postquam triennium adfuisset, bona pace à dominis consiliarijs Bipontanum Ducatum Regentibus, Anno 1570. 1. Martij rogatam ueniam impetrauit. Eius à Schola secessus fuit causa, quod ad alia se natum diceret, ac ideo capto consilio, ad hyalurgiam seu vitriariam exercendam, à Generoso comite à Bitsch quingentis quinquaginta florenis coëmptam, classica functione resignata, animum adiecit.

3b **Georgius Goze Magdeburgensis,** Vir singulari praeditus doctrina, Anno 1567. die 17. Maij ab Illustrissimi principis Domini D. Georgij Johannis Comitis Palatini, Ducis Bauariae

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

etc. aula in Lützelstain, abductus, in Tertiae huius scholae classis professorem, et disciplinae executorem in Collegio, est constitutus, quam functionem cum triennium fideliter administrasset, in patriam est reuersus.

*Johannes Georg. Stahelius Hornbacensis, Gymnasii huius alumnus anno 1560. est factus, post exactum totum decennium, et relictam Scholam in Anwyler, ad paedagogiam & Tertiae classis huius Scholae administrationem, aliquorum intercessione habita, est admissus, Christi Anno 1570. 13. Maij die. [3]) Eam Paedagogiam sustinuit usque ad aduentum Balthasari Zügeri. [2]) Profectus à nobis mense martio 1579, substituto vicario Wernigio, abijt Basileam, ubi cum Septimanas quindecim egisset promouit in doctorem medicinae 7. die Julij 79. reuersus Hornbacum 14. Juli abijt à nobis Heidelbergam in publicum medicinae professorem lectus. 28. Nouembris 1580.

Baltasar Zügerus uel Martyr Mellerstadius, at à Stockheim 4a
Franconiae, Neoburgo huc missus, in secunda Classe nostrae Scholae docere, et paedagogiam eiusdem administrare coepit, Anno Christi 1574. 6. Junij [3]) Quam usque ad Mensem Julium Anni 76. feliciter administrauit: Ab eo ad Petrum Hellingerum est translata. Hic Balthasar ab Illustrissimo D. principe ad aliam conditionem et uitae genus uocatus, Scholae huius Hornbachianae Classem secundam reliquit 11. Nouembris. Anno Chri. saluatoris 1576.

Petrus Hellingerus Bitensis, fratri suo Georgio successit, in Quarta huius Scholae curia docere coepit, Anno Christi 1574. 24. Nouembris. [3]) Cui Paedagogia in Collegio Anno 76. 16. Julij est demandata.

*Henricus Fabricius Tabernaemontanus, Medicinae Doctor, 4b
Physices & Matheseos publicus Lector est constitutus, Anno Christi 1574. 9. Julij. sed stipendio coepit frui pro laboribus, prima die Maij a° 1575. [2]) Scholarcha IIII die Martij 1576: Rector XIX Januarij, 1577 designatus: Secundo Martij die, anni eiusdem, ab ipso illustriss: Principe, Joanne Palatino Rheni etc. scholae praesentatus.

M. Jacobus Schopperus Biberacensis, eruditione & eloquentia vir clarus, Theologiam publicè in hac schola profiteri magna cum dexteritate coepit, Anno Christi 1576. 9. Januarij. [2]) Scholarcha cum Fabricio factus 4 die Martij, anno 1576. Abit à nobis 6 die Aprilis, ac praeficitur Heidelbergae domui Sapientiae. 1580.

[2]) **M. Christophorus Zehmannus Lauinganus**, ab illustrissimo 5a
Principe, Joanne Palatino Rheni etc. in professorem secundae classis adscitus. ad nos uenit, anno à nato Christo mundi seruatore, M D L XXVII. vltimo Februarij die.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

5b *M. **Christianus Wernigius** cum aliquot menses absentis ac Basileae promouentis Stahelij uices egisset, abdicato Petro Hellingero paedagogo succedit, ac paedagogiae quartaeque classi praeficitur. — Tertiae praeficitur classi ac D. Doctori Stahelio succedit mense decembri 1580. Praesentatur ac confirmatur in uisitatione à D. consiliarijs 10 die Januarij 1581. Diuturno morbo afflicti uices agit D. Georgius Lochamerus, illustrissimi Principis mandato: scholae praesentatus 3 die Julij 1582. — Abijt cum sua familia Spiram ad medicinam faciendam, bona pace Illustrissimi Principis, Ducis Joannis Palatini Rheni etc. VI Calend. Junij: 1595.

6a **Hermannus Wackerus Mündensis**, vir et diuinis et humanioribus literis instructissimus, Schoppero succedit in officio ac functione Ecclesiastica ac scholastica, 14 Aprilis 1580. qui ante id temporis in Obernkirch supra Argentinam functus fuerat ministri uerbi Dei officio. Scholarcha declaratur 12 Julij 1580.

6b **Bartholomaeus Hexamerus Wormatiensis** praesentatus est Scholae et Theologiae Professor, et publicus Concionator: 22 die Junij: 1586.

7a *Jodocus Rhodius Annaeuillanus olim scholae huius alumnus, cum Jenae, Witenbergae, Argentorati operam literis nauasset, ac Trorbacensi scholae adhibitus esset, reuocatus ad nos uenit sub finem anni 1580. Praefectus quartae classi, ac praesentatus à D. visitatoribus, 10 die Januarij 1581. Designatus Rector scholae Trorbacensis: uocatu illustrissimi Principis Caroli, ducis Sponheimensis, cum is ab illustrissimo Principe nostro Joanne Palatino, fratre suo, id impetrasset: anno 1586. mense Junio,

7b ** **Nicolaus Frisius Tabernaemontanus**, scholae huius a paruo alumnus, cum aliquot annis Argentorati uixisset, atque ibidem magistri honores consecutus esset, D. Rhodio auocato surrogatur ac Paedagogiae et quartae praeficitur: 18 Junij: anno 1586. Constitutus Diaconus Tabernis montanis à nobis discedit, 20 die Maij: anno 1587.

8a *Jacobus Beyerus Bipontanus, qui et ipse in scholae huius sinu enutritus, in Academia Argentoratensi expolitus, ac magistri honore ornatus, Frisio patriae amore ac salute abstracto succedit, declaratus Paedagogus ac quartae classis professor 23 die Maij: anno 1587.

8b **Isacus Cramerus** (1) Variscus) in Collegium Professorum Scholae Hornbacensis adsciscitur, ac tertiae classi praeficitur (4) Commendata eidem Paedagogia: quam abdicavit uxore ducta, An. 91.) 2) Calendis Januarij 1589. Calendis Junij anni 1595 ad secundam classem est promotus, 4) discedente Spiram Doctore

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Christiano Werniggio. Cramero autem Stahelius ad tertiae classis lectiones sufficitur: et huic ad quartae Gentersbergerus.

** **Sebastianus Stahelius Hornbacensis** in paedagogum Scholae Hornbacensis et Professorem quartae classis adlegitur 24 die Junij 1591. Calendis Augusti paedagogiam inijt, ac officium suscepit. Anno 1595 promotus ad tertiam classem: Calendis Julij. Anno 1596 Calendis Februarij obijt: in templo Hornbacensi sepultus. 9a

* **Joannes Sigismundus Genterspergerus Bipontinas** reuersus Marpurgo, in qua Academia Magisterij gradum honorificè consecutus est, ad quartam classem Professor adsciscitur, Calendis Julij 1595. Paedagogia committitur ac demandatur 7 die Februarij 1596. [4]) Deinde Anno 1600, cum uxore ducta, rebusque domesticis impeditus Paedagogiae non amplius vacare posset, loco submotus est, et classi seu Scholae Bipontanae praefectus ante d. Cal. Febru. X. eique sufficitur ex Ludo oppidano adscitus Nicolaus Rubelius Bipontinus. 10a

[4]) * **Nicolaus Rubelius Bipontinus,** huius olim Scholae alumnus, atque hinc suae patriae scholae Collaborator additus: post huius loci scholae oppidanae praefectus, atque inibi ob industriam in erudienda juventute singularem (amoto Gentersbergero) in numerum Professorum ab Jll. Principe assumitur, eidemque classis 4ª cum Paedagogia committitur, Anno 1600. 23 Januarij. [5]) A. 1612. 6. Januarij Petro Boesio oppidanae Scholae praeceptori, puerilium exercitiorum pertaeso, et ad majora adspiranti cedere jussus, ad veterem illam stationem redijt.

[2]) * **Christianus Geruinus Meissenhemius,** ludi oppidani ibidem magister uocatu illustrissimi Principis, Ducis Joannis Palatini Rheni, in locum defuncti Stahelij sufficitur, ac tertiae classi praeficitur anno 1596 Calendis Maij. [4]) Quem locum, ubi paene quadriennium tenuisset: decedente Clarissimo atque Experientissimo Viro Doctore Henrico Fabricio à Rectoratu, de voluntate Jll. Principis perinvitus Scholae habenas accepit, Rector declaratus, 23 Januarij, Anno 1600. Adsit ei diuina gratia. — Hanc provinciam cum totum sexennium pro virili mea parte administrassem: et testimonium bene meriti publicè accepissem: jubeor decedere, et scholasticae conditioni renunciare. Cujus metamorphoseos meae, ut culpam nullam fero: ita nullam ut luam, infelicitate aliqua insigni, faxit is, qui omnia praevidet et praedestinat unus et solus, Deus ter benedictus in secula. 10b

αὐτὸς ἀεὶ τόδε μὲν σώζοι τῆς Πατρίδος ὄμμα:
Ὄμμα δὲ ὀλοθρεύοι τοῦ κοτέοντος ἄγα.

Sed nunc hîc calamos et caetera ludicra ponam. C. G. Mpropria.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

11a 4) ** **Jacobus Heuserus Bipontinas**, suae patriae Schola per triennium benè administrata, Hornbacum evocatus, Gervino mihi in classe 3. successit. Praesentatus à me Rectore Nonis Februarij ex mandato Illust. Principis Ducis Joannis Palatini, quod secum Biponto attulit. An. Ch. 1600.

12a 5) **Elias Thalwencelius Silesius** J. U. D. illustrissimae juventutis Principum Palatin. in aula Bipont. praeceptor emeritus, et consiliarius Bipont. Gervino successit: et in augusta corona Principis illustriss. Johannis II. Palatini Rheni etc. ac Senatus ampliss. per Cancellarium LL. Henricum Suebelium praesentatus est Scholae Rector. Cujus gubernacula annos 8. M. 4. cum dignitate tenuit. Obijt 3 Maij. Anno 1614.

12b * **Johannes Christianus Rotfuchsius Hornebacensis**, alumnus Sereniss. nostri Principis Heidelberga reuocatus, ac Petro Boesio amoto, classi Quartae et Paedagogiae praefectus est, A° 1613. M. Januario.

Quâ rectè administratâ ad Classem tertiam promotus, et disciplinae moderatione liberatus est. Mense Junio. A. 1614.

13a * **M. Philippus Jegenius Bipont.** Rotfuchsio ad Classem Tertiam evecto surrogatus, et ad Paedagogiam moderandam adhibitus est. 10. Junij A° 1614.

[Folia 13b—24b vacant.]

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf